

omnis gravis et approbandæ auctoritatis historia : vel in animis eorum qui ea jam noverunt; eis quippe jam nota, et aliis utique sunt noscibilia, quorum scientiam prævennerunt et qui ea nosse, illis quibus nota sunt docentibus, possunt. Quæ omnia, et quando discuntur, quamdam faciunt trinitatem, specie sua quæ noscibilis fuit etiam antequam nosceretur, eique adjuncta cognitione discentis quæ tunc esse incipit quando discitur, ac tertia voluntate quæ utrumque conjungit. Et cum cognita fuerint alia trinitas, dum recoluntur, fit jam interius in ipso animo, ex iis imaginibus quæ cum discerentur sunt impressæ in memoria, et informatione cogitationis ad ea converso recordantis aspectu, et ex voluntate quæ tertia duo ista conjungit. Ea vero quæ oriuntur in animo ubi non fuerunt, sicut fides, et cætera hujusmodi, et si adventitia videntur, cum doctrina inseruntur; non tamen foris posita vel foris peracta sunt, sicut illa quæ creduntur; sed intus omnino in ipso animo esse cœperunt. Fides est enim non est quod creditur, sed qua creditur; et illud creditur, illa conspicitur. Tamen quia esse cœpit in animo, qui jam erat animus antequam in illo ista esse cœpisset, adventitium quiddam videtur, et in præteritis habebitur, quando succedente specie jam esse destiterit : aliamque nunc trinitatem facit per suam præsentiam, retenta, conspecta, dilecta; aliam tunc faciet per quoddam sui vestigium, quod in memoria præteriens dereliquerit, sicut jam supra dictum est.

XII. Utrum autem tunc etiam virtutes, quibus in hac mortalitate bene vivitur, quia et ipsæ incipiunt esse in animo, qui cum sine illis prius esset, tamen animus erat, desinant esse cum ad æterna perduxerint, nonnulla quæstio est. Quibusdam enim visum est desituras : et de tribus quidem, prudentia, fortitudine, temperantia, cum hoc

dicitur, nonnihil dici videtur : justitia vero immortalis est, et magis tunc perficietur in nobis, quam esse cessabit. De omnibus tamen quatuor magnus auctor eloquentiæ Tullius in Hortensio dialogo disputans. « Si nobis, inquit, cum ex hac vita emigraverimus, in beatorum insulis immortale ævum, ut fabulæ ferunt, degere liceret, quid opus esset eloquentia, cum judicia nulla fierent; aut ipsis etiam virtutibus? Nec enim fortitudine egeremus, nullo proposito aut labore aut periculo; nec justitia cum esset nihil quod appeteretur alieni; nec temperantia, quæ regeret eas quæ nullæ essent libidines, nec prudentia quidem egeremus, nullo delectu proposito bonorum et malorum. Una igitur essemus beati cognitione naturæ et scientia, qua sola etiam deorum est vita laudanda. Ex quo intelligi potest cætera necessitatis esse, unum hoc voluntatis<sup>1</sup>. » Ita ille tantus Orator, cum philosophiam prædicaret, recolens ea quæ a philosophis acceperat, et præclare ac suaviter explicans, in hac tantum vita, quam videmus æruminis et erroribus plenam, omnes quatuor necessarias dixit esse virtutes: nullam vero earum, cum ex hac vita emigraverimus, si liceat ibi vivere ubi vivitur beate; sed bonos animos sola beatos esse cognitione et scientia, hoc est, contemplatione naturæ qua nihil melius et amabilius : ea est natura quæ creavit omnes cæteras, instituitque naturas. Cui regenti esse subditum, si justitiæ est, immortalis est omnino justitia : nec in illa esse beatitudine desinet, sed talis ac tanta erit, ut perfectior et major esse non possit. Fortassis et aliæ tres virtutes, prudentia sine ullo jam periculo erroris, fortitudo sine molestia tolerandorum malorum, temperantia sine repugnatione libidinum, erunt in illa felicitate : ut prudentiæ sit nullum bonum Deo præponere vel æquare, fortitudinis ei

<sup>1</sup> Ex Ciceronis Hortensio.

firmissime cohaerere, temperantiæ nullo defectu noxio delectari. Nunc autem quod agit justitia in subveniendō miseris, quod prudentia in præcavendis insidiis, quod fortitudo in perferendis molestiis, quod temperantia in coërcendis delectationibus pravis, non ibi erit, ubi nihil omnino mali erit. Ac per hoc ista virtutum opera; quæ huic mortali vitæ sunt necessaria, sicut fides ad quam referenda sunt, in præteritis habebuntur: et aliam nunc faciunt trinitatem, cum ea præsentia tenemus, aspiciamus, amamus; aliam tunc factura sunt, cum ea non esse, sed fuisse, per quædam eorum vestigia, quæ prætereundo in memoria derelinquent, reperiemus: quia et tunc trinitas erit, cum illud quaecumque vestigium et memoriter retinebitur, et agnoscetur veraciter, et hoc utrumque tertia voluntate jungetur.

XIII. In omnium istarum, quas commemoravimus, temporalium rerum scientia, quædam cognoscibilia cognitionem interpositione temporis antecedunt; sicut sunt ea sensibilia, quæ jam erant in rebus, antequam cognoscerentur; vel ea omnia, quæ per historiam cognoscuntur: quædam vero simul esse incipiunt; velut si aliquid visibile, quod omnino non erat, ante nostros oculos oritur, cognitionem nostram utique non præcedit; aut si aliquid sonet, ubi adest auditor, simul profecto incipiunt esse, simulque desinunt et sonus et ejus auditus. Verumtamen sive tempore præcedentia, sive simul esse incipientia cognoscibilia cognitionem gignunt, non cognitione gignuntur. Cognitione vero facta, cum ea quæ cognovimus, posita in memoria recordatione revisuntur, quis non videat priorem esse tempore in memoria retentionem, quam in recordatione visionem, et hujus utriusque tertia voluntate junctionem? Porro autem in mente

non sic est: neque enim adventitia sibi ipsa est, quasi ad se ipsam quæ jam erat, venerit aliunde eadem ipsa quæ non erat; aut non aliunde venerit, sed in se ipsa quæ jam erat, nata sit ea ipsa quæ non erat; sicut in mente quæ jam erat, oritur fides quæ non erat: aut post cognitionem sui recordando se ipsam velut in memoria sua constitutam videt, quasi non ibi fuerit antequam se ipsam cognosceret; cum profecto ex quo esse cœpit, nunquam sui meminisse, nunquam se intelligere, nunquam se amare destiterit, sicut jam ostendimus. Ac per hoc quando ad se ipsam cogitatione convertitur, fit trinitas, in qua jam et verbum possit intelligi: formatur quippe ex ipsa cogitatione, voluntate utrumque jungente. Ibi ergo magis agnoscenda est imago quam quærimus.

XIV. Sed dicet aliquis: Non est ista memoria, qua mens sui meminisse perhibetur, quæ sibi semper est præsens. Memoria enim præteritorum est, non præsentium: nam quidam cum de virtutibus agerent, in quibus est etiam Tullius, in tria ista prudentiam diviserunt, memoriam, intelligentiam, providentiam: memoriam scilicet præteritis, intelligentiam præsentibus, providentiam rebus tribuentes futuris, quam non habent certam nisi præscii futurorum; quod non est munus hominum, nisi detur desuper, ut Prophetis. Unde Scriptura sapientiæ de hominibus aiens: « Cogitationes, inquit, mortaliū timidæ, et incertæ providentiæ nostræ<sup>1</sup>. » Memoria vero de præteritis, et intelligentia de præsentibus certa est, sed præsentibus utique incorporalibus rebus: nam corporales corporalium præsentibus sunt aspectibus oculorum. Sed qui dicit memoriam non esse præsentium, attendat quemadmodum dictum sit in ipsis sæcularibus

<sup>1</sup> Sap. ix, 14.

litteris, ubi majoris fuit curæ verborum integritas quam veritas rerum :

..... Nec talia passus Ulysses  
Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto<sup>1</sup>.

Virgilius enim cum sui non oblitum diceret Ulyssem, quid aliud intelligi voluit, nisi quod meminisset, nisi ad res præsentis memoria pertineret. Quapropter sicut in rebus præteritis ea memoria dicitur, qua fit ut valeant recoli et recordari : sic in re præsentis quod sibi est mens, memoria sine absurditate dicenda est, qua sibi præsto est ut sua cogitatione possit intelligi, et utrumque sui amore conjungi.

XV. Hæc igitur trinitas mentis non propterea Dei est imago, quia sui meminit mens, et intelligit ac diligit se : sed quia potest etiam meminisse, et intelligere, et amare a quo facta est. Quod cum facit, sapiens ipsa fit. Si autem non facit, etiam cum sui meminit, seseque intelligit ac diligit, stulta est. Meminerit itaque Dei sui, ad cuius imaginem facta est, eumque intelligat atque diligat. Quod ut brevius dicam, colat Deum non factum, cuius ab eo capax est facta, et cuius particeps esse potest, propter quod scriptum est : « Ecce Dei cultus est sapientia<sup>1</sup> : » et non sua luce, sed summæ illius lucis participatione sapiens erit, atque ubi æterna, ibi beata regnabit. Sic enim dicitur ista hominis sapientia, ut etiam Dei sit. Tunc enim vera est : nam si humana est, vana est. Verum non ita Dei qua sapiens est Deus. Neque enim participatione sui sapiens est, sicut mens participatione Dei. Sed quemadmodum dicitur etiam justitia Dei, non solum illa qua ipse justus est, sed quam dat homini cum justi-

<sup>1</sup> Virg. Æneid. III, vers. 628 et 629. — <sup>2</sup> Job. XXVIII, 28.

ficat impium, quam commendans Apostolus ait de quibusdam : « Ignorantes enim Dei justitiam, et suam justitiam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt » subjecti<sup>1</sup> : » sic etiam dici potest de quibusdam : Ignorantes Dei sapientiam, et suam volentes constituere, sapientiæ Dei non sunt subjecti.

XVI. Est igitur natura non facta, quæ fecit omnes cæteras magnas parvasque naturas, eis quas fecit sine dubitatione præstantior, ac per hoc hac etiam de qua loquimur, rationali et intellectuali, quæ hominis mens est, ad ejus qui eam fecit imaginem facta. Illa autem cæteris natura præstantior Deus est. Et quidem « Non longe » positus ab unoquoque nostrum, » sicut Apostolus dicit, adjungens : « In illo enim vivimus, et movemur, et » sumus<sup>2</sup>. » Quod si secundum corpus diceret, etiam de isto corporeo mundo posset intelligi. Nam et in illo secundum corpus vivimus, movemur, et sumus. Unde secundum mentem quæ facta est ad ejus imaginem, debet hoc accipi, excellentiore quodam, eodemque non visibili, sed intelligibili modo. Nam quid non est in ipso, de quo divine scriptum est : « Quoniam ex ipso et per » ipsum et in ipso sunt omnia<sup>3</sup> ? » Proinde si in ipso sunt omnia, in quo tandem possunt vivere quæ vivunt, et moveri quæ moventur, nisi in quo sunt ? Non tamen omnes cum illo sunt eo modo quo ei dictum est : « Ego » semper tecum<sup>4</sup>. » Nec ipse cum omnibus eo modo quo dicimus, Dominus vobiscum. Magna itaque hominis miseria est cum illo non esse, sine quo non potest esse. In quo enim est, procul dubio sine illo non est : et tamen si ejus non meminit, eumque non intelligit, nec diligit, cum illo non est. Quod autem quisque penitus obliviscitur, nec commoneri ejus utique potest.

<sup>1</sup> Rom. x, 3. — <sup>2</sup> Act. XVII, 27. — <sup>3</sup> Rom. xi, 36. — <sup>4</sup> Psal. LXXII, 23.

XVII. De visibilibus rebus ad hanc rem sumamus exemplum. Dicit tibi quispiam quem non recognoscis : Nosti me : et ut commoneat, dicit ubi, quando, quomodo tibi innotuerit : omnibusque adhibitis signis quibus in memoriam revoceris, si non recognoscis, ita jam oblitus es, ut omnis illa notitia penitus deleta sit animo; nihilque aliud restat, nisi ut credas ei qui tibi hoc dicit, quod aliquando eum noveras; aut ne hoc quidem, si fide dignus tibi esse qui loquitur non videtur. Si autem reminisceris, profecto redis in memoriam tuam, et in ea invenis quod non fuerat penitus oblivione deletum. Redeamus ad illud propter quod adhibuimus humanæ conversationis exemplum. Inter cætera Psalmus IX : « Converte » tantur, inquit, peccatores in infernum, omnes gentes quæ » obliviscuntur Deum<sup>1</sup>. » Porro autem Psalmus XXI : « Com » memorabuntur, inquit, et convertentur ad Dominum » universi fines terræ<sup>2</sup>. » Non igitur sic erant oblitæ istæ gentes Deum, ut ejus nec commemoratæ recordarentur. Obliviscendo autem Deum, tanquam obliviscendo vitam suam, conversæ fuerant in mortem, hoc est, in infernum. Commemoratæ vero convertuntur ad Dominum, tanquam reviviscentes reminiscendo vitam suam, cujus eas habebat oblivio. Item legitur in Psalmo XCIII : « Intelligite » nunc qui insipientes estis in populo, et stulti aliquando » sapite : Qui plantavit aurem, non audiet<sup>3</sup>? » et cætera. Eis enim dictum est, qui Deum non intelligendo, de illo vana dixerunt.

XVIII. De dilectione autem Dei plura reperiuntur in divinis Eloquiis testimonia. Ibi enim et illa duo consequenter intelliguntur, quia nemo diligit cujus non meminit, et quod penitus nescit. Unde illud est notissimum præcipuumque præceptum : « Diliges Dominum Deum

<sup>1</sup> Psal. IX, 18. — <sup>2</sup> Id. XXI, 28. — <sup>3</sup> Id. XCIII, 8.

» tuum<sup>1</sup>. » Sic itaque condita est mens humana, ut nunquam sui non meminerit, nunquam se non intelligat, nunquam se non diligit. Sed quoniam qui odit aliquem, nocere illi studet; non immerito et mens hominis, quando sibi nocet, odisse se dicitur. Nesciens enim sibi vult male, dum non putat sibi obesse quod vult : sed tamen male sibi vult, quando id vult quod obsit sibi; unde illud scriptum est : « Qui diligit iniquitatem, odit animam » suam<sup>2</sup>. » Qui ergo se diligere novit, Deum diligit : qui vero non diligit Deum, etiamsi se diligit, quod ei naturaliter inditum est, tamen non inconvenienter odisse se dicitur, cum id agit quod sibi adversatur, et se ipsum tanquam suus inimicus insequitur. Qui profecto est error horrendus, ut cum sibi omnes prodesse velint, multi non faciant nisi quod eis perniciosissimum sit. Similem morbum mutorum animalium cum Poëta describeret :

Dii (*inquit*) meliora piis, erroremque hostibus illum<sup>3</sup>.

Discissos nudis laniabant dentibus artus. Cum morbus ille corporis fuerit, cur dixit errorem, nisi quia omne animal cum sibi natura conciliatum sit, ut se custodiat quantum potest, talis ille erat morbus, ut ea quorum salutem appetebant, sua membra laniarent? Cum autem Deum diligit mens, et sicut dictum est, consequenter ejus meminit, eumque intelligit, recte illi de proximo suo præcipitur, ut eum sicut se diligit. Jam enim se non diligit perverse, sed recte, cum Deum diligit, cujus participatione imago illa non solum est, verumetiam ex vetustate renovatur, ex deformitate reformatur, ex infelicitate beatificatur. Quamvis enim se ita diligit, ut si alterutrum proponatur, malit omnia quæ infra se diligit perdere, quam perire : tamen superiorem deserendo, ad

<sup>1</sup> Deut. VI, 5. — <sup>2</sup> Psal. X, 6. — <sup>3</sup> Virg. Georg. III, vers. 513.

quem solum posset custodire fortitudinem suam, eoque frui lumine suo, cui canitur in Psalmo: « Fortitudinem » meam ad te custodiam<sup>1</sup>; » et in alio: « Accedite ad » eum, et illuminamini<sup>2</sup>: » sic infirma et tenebrosa facta est, ut a se quoque ipsa, in ea quæ non sunt quod ipsa, et quibus superior est ipsa, infelicius laberetur per amores, quos non valet vincere, et errores a quibus non videt qua redire. Unde jam Deo miserante poenitens clamat in Psalmis: « Deseruit me fortitudo mea, et lumen oculorum meorum non est mecum<sup>3</sup>. »

XIX. Non tamen in his tantis infirmitatis et erroris malis amittere potuit naturalem memoriam, intellectum, et amorem sui: propter quod merito dici potuit quod supra commemoravi: « Quanquam in imagine ambulat » homo, tamen vane conturbatur. Thesaurizat, et nescit cui congregabit ea<sup>4</sup>. » Cur enim thesaurizat, nisi quia fortitudo ejus deseruit eum, per quam Deum habens, rei nullius indigeret? Et cur nescit cui congregabit ea, nisi quia lumen oculorum ejus non est cum eo? Et ideo non videt quod Veritas ait: « Stulte, hac nocte animam » tuam repetunt a te, hæc autem quæ præparasti cujus » erunt<sup>2</sup>? » Verumtamen quia etiam talis in imagine ambulat homo, et habet memoriam, et intellectum, et amorem sui, hominis mens: si ei manifestaretur quod utrumque habere non posset, et unum e duobus permetteretur eligere, alterum perditurus, aut thesauros quos congregavit, aut mentem, quis usque adeo non habet mentem, ut thesauros mallet habere quam mentem? Thesauri enim mentem possunt plerumque subvertere: at mens quæ non thesauris subvertitur, sine ullis thesauris facilius et expeditius potest vivere. Quis vero ullos the-

<sup>1</sup> Psal. LVIII, 10. — <sup>2</sup> Id. XXXIII, 6. — <sup>3</sup> Id. XXXVII, 11. — <sup>4</sup> Id. XXXVIII, 7. — <sup>5</sup> Luc. XII, 20.

sauros, nisi per mentem poterit possidere? Si enim puer infans, quamvis ditissimus natus, cum sit dominus omnium quæ jure sunt ejus, nihil possidet mente sopita; quonam tandem modo quisquam quidquam mente possidebit amissa? Sed de thesauris quid loquor, quod eis quilibet hominum, si talis optio proponatur, mavult carere quam mente; cum eos nemo præponat, nemo comparet luminibus corporis, quibus non ut aurum rarus quisque homo, sed omnis homo possidet coelum: per lumina enim corporis quisque possidet quidquid libenter videt. Quis ergo si tenere utrumque non possit, et alterutrum cogatur amittere, non thesauros quam oculos malit? Et tamen si ab eo simili conditione quæretur, utrum oculos malit amittere, an mentem, quis mente non videat cum oculos malle quam mentem? Mens quippe sine oculis carnis humana est, oculi autem carnis sine mente belluini sunt. Quis porro non hominem se malit esse etiam carne cæcum, quam belluam videntem?

XX. Hæc dixi, ut etiam tardiores, quamvis breviter, commonerentur a me, in quorum oculos vel aures hæc litteræ venerint, quantum mens diligat se ipsam etiam infirma et errans, male diligendo atque sectando quæ sunt infra ipsam. Diligere porro se ipsam non posset, si se omnino nesciret, id est, si sui non meminisset, nec se intelligeret: qua in se imagine Dei tam potens est, ut ei cujus imago est valeat inhærere. Sic enim ordinata est naturarum ordine, non locorum, ut supra illam non sit nisi ille. Denique cum illi penitus adhæserit, unus erit spiritus: cui rei attestatur Apostolus, dicens: « Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est<sup>1</sup>: » accedente quidem ista ad participationem naturæ veritatis, et beatitudinis illius, non tamen crescente illo in natura, veritate et bea-

<sup>1</sup> 1 Cor. VI, 17.

titudine sua. In illa itaque natura, cum feliciter adhæserit, immutabiliter vivet, et immutabile videbit omne quod viderit. Tunc, sicut ei divina Scriptura promittit, satiabitur in bonis desiderium ejus<sup>1</sup>, bonis immutabilibus, ipsa Trinitate Deo suo cujus imago est: et ne uspiam deinceps violetur, erit in abscondito vultus ejus, tanta ubertate ejus impleta, ut eam nunquam peccare delectet. Se ipsam vero nunc quando videt, non aliquid immutabile videt.

XXI. Quod ideo certe non dubitat, quoniam misera est, et beata esse desiderat: nec ob aliud fieri sperat hoc posse, nisi quia est mutabilis. Nam si mutabilis non esset, sicut ex beata misera, sic ex misera beata esse non posset. Et quid eam fecisset miseram sub omnipotente et bono Domino, nisi peccatum suum et justitia Domini sui? Et quid eam faciet beatam, nisi meritum suum et præmium Domini sui? Sed et meritum ejus gratia est illius, cujus præmium erit beatitudo ejus. Justitiam quippe dare sibi non potest, quam perditam non habet. Hanc enim cum homo conderetur, accepit; et peccando utique perdidit. Accipit ergo justitiam propter quam beatitudinem accipere mereatur. Unde veraciter ei dicitur ab Apostolo, quasi de suo bono superbire incipienti: « Quid enim habes, » quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris » quasi non accepisti? » Quando autem bene recordatur Domini sui, Spiritu ejus accepto, sentit omnino, quia hoc discit intimo magisterio, non nisi ejus gratuito affectu posse se surgere, non nisi suo voluntario defectu cadere potuisse. Non sane reminiscitur beatitudinis suæ: fuit quippe illa et non est, ejusque ista, penitus oblita est; ideoque nec commemorari potest. Credit autem de illa fide dignis litteris Dei sui, per ejus Prophetam conscrip-

<sup>1</sup> Psal. cii, 5. — <sup>2</sup> 1 Cor. iv, 7.

tis, narrantibus de felicitate paradisi, atque illud primum et bonum hominis et malum historica traditione indicantibus. Domini autem Dei sui reminiscitur. Ille quippe semper est, nec fuit et non est, nec est et non fuit: sed sicut nunquam non erit, ita nunquam non erat. Et ubique totus est: propter quod ista in illo et vivit, et movetur, et est<sup>1</sup>: et ideo reminisci ejus potest. Non quia hoc recordatur, quod eum noverat in Adam, aut alibi alicubi ante hujus corporis vitam, aut cum primum facta est ut insereretur huic corpori: nihil enim horum omnino reminiscitur: quidquid horum est, oblivione deletum est. Sed commemoratur, ut convertatur ad Dominum, tanquam ad eam lucem qua etiam cum ab illo averteretur quodam modo tangebatur. Nam hinc est quod etiam impii cogitant æternitatem, et multa recte reprehendunt recteque laudant in hominum moribus. Quibus ea tandem regulis judicant, nisi in quibus vident quemadmodum quisque vivere debeat, etiamsi nec ipsi eodem modo vivant? Ubi eas vident? Neque enim in sua natura, cum procul dubio mente ista videantur, eorumque mentes constet esse mutabiles, has vero regulas immutabiles videat, quisquis in eis et hoc videre potuerit; nec in habitu suæ mentis, cum illæ regulæ sint justitiæ, mentes vero eorum constet esse injustas. Ubinam sunt istæ regulæ scriptæ, ubi quid sit justum et injustum agnoscit, ubi cernit, habendum esse quod ipse non habet? Ubi ergo scriptæ sunt, nisi in libro lucis illius quæ veritas dicitur? unde omnis lex justa describitur, et in cor hominis qui operatur justitiam, non migrando, sed tanquam imprimendo transfertur; sicut imago ex annulo et in ceram transit, et annulum non relinquit. Qui vero non operatur, et tamen videt quid operandum sit, ipse est qui ab illa luce avertitur, a qua ta-

<sup>1</sup> Act. vii, 28.

men tangitur. Qui autem nec videt quemadmodum sit vivendum, excusabilius quidem peccat, quia non est transgressor cognitæ legis: sed etiam ipse splendore aliquoties ubique præsentis veritatis attingitur, quando admonitus confitetur.

XXII. Qui vero commemorati convertuntur ad Dominum ab ea deformitate, qua per cupiditates sæculares conformabantur huic sæculo, reformantur ex illo, audientes Apostolum dicentem: « Nolite conformari huic » sæculo, sed reformamini in novitate mentis vestræ<sup>1</sup>: » ut incipiat illa imago ab illo reformari, a quo formata est. Non enim reformare se ipsam potest, sicut potuit deformare. Dicit etiam alibi: « Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, eum qui secundum » Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis<sup>2</sup>. » Quod ait: « Secundum Deum creatum: » hoc alio loco dicitur: « ad imaginem Dei. » Sed peccando justitiam et sanctitatem veritatis amisit; propter quod hæc imago deformis et decolor facta est: hanc recipit, cum reformatur et renovatur. Quod autem ait: « Spiritu mentis vestræ; » non ibi duas res intelligi voluit, quasi aliud sit mens, aliud spiritus mentis: sed quia omnis mens spiritus est, non autem omnis spiritus mens est. Est enim spiritus et Deus<sup>3</sup>, qui renovari non potest, quia nec veterascere potest. Dicitur etiam spiritus in homine, qui mens non sit, ad quem pertinent imaginationes similes corporum: de quo dicit ad Corinthios, ubi dicit; « Si autem oravero » lingua, spiritus meus orat, mens autem mea infructuosa » est<sup>4</sup>. » Hoc enim ait, quando id quod dicitur, non intelligitur: quia nec dici potest, nisi corporalium vocum imagines sonum oris spiritus cogitatione præveniant. Dicitur et hominis anima spiritus: unde est in Evangelio:

<sup>1</sup> Rom. xii, 2. — <sup>2</sup> Ephes. iv, 23. — <sup>3</sup> Joan. iv, 24. — <sup>4</sup> 1 Cor. xiv, 14.

« Et inclinato capite, tradidit spiritum<sup>1</sup>; » quo significata est mors corporis, anima exeunte. Dicitur spiritus etiam pecoris, quod in Ecclesiaste libro Salomonis apertissime scriptum est, ubi ait: « Quis scit spiritus filiorum » hominum si ascendet ipse sursum, et spiritus pecoris si » descendet ipse deorsum in terram<sup>2</sup>? » Scriptum est etiam in Genesi, ubi dicit diluvio mortuam universam carnem, quæ « Habebat in se spiritum vitæ<sup>3</sup>. » Dicitur spiritus etiam ventus, res apertissime corporalis: unde illud in Psalmis: « Ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis<sup>4</sup>. » Quia ergo tot modis dicitur spiritus: « Spiritum » mentis » dicere voluit eum spiritum, quæ mens vocatur. Sicut ait etiam idem Apostolus: « In expoliatione » corporis carnis<sup>5</sup>. » Non duas utique res intelligi voluit, quasi aliud sit caro, aliud corpus carnis: sed quia corpus multarum rerum nomen est, quarum nulla caro est; (nam multa sunt excepta carne corpora cœlestia, et corpora terrestria): corpus carnis dixit, corpus quæ caro est. Sic itaque « Spiritum mentis » eum spiritum quæ mens est. Alibi quoque apertius etiam imaginem nominavit, scilicet aliis verbis idipsum præcipiens: « Expoliantes vos, inquit, veterem hominem cum actibus ejus, induite novum hominem, qui renovatur in agnitione Dei secundum » imaginem ejus qui creavit eum<sup>6</sup>. » Quod ergo ibi legitur: « Induite novum hominem qui secundum Deum creatus » est<sup>7</sup>: » hoc isto loco: « Induite novum hominem, qui » renovatur secundum imaginem ejus qui creavit eum<sup>8</sup>. » Ibi autem ait: « Secundum Deum: » hic vero, « Secundum imaginem ejus qui creavit eum. » Pro eo vero quod ibi posuit: « In justitia et sanctitate veritatis: » hoc

<sup>1</sup> Joan. xix, 30. — <sup>2</sup> Eccl. iii, 21. — <sup>3</sup> Gen. vii, 22. — <sup>4</sup> Psal. cxlviii, 8. — <sup>5</sup> Coloss. ii, 11. — <sup>6</sup> Id. iii, 9. — <sup>7</sup> Ephes. iv, 24. — <sup>8</sup> Coloss. iii, 10.

posuit hic : « In agnitione Dei. » Fit ergo ista renovatio reformatioque mentis secundum Deum, vel secundum imaginem Dei. Sed ideo dicitur « Secundum Deum, » ne secundum aliam creaturam fieri putetur : ideo autem « Secundum » imaginem Dei, » ut in ea re intelligatur fieri hæc renovatio, ubi est imago Dei, id est, in mente. Quemadmodum dicimus, secundum corpus mortuum, non secundum spiritum, eum qui de corpore fidelis et justus abscedit. Quid enim dicimus secundum corpus mortuum, nisi corpore vel in corpore, non anima vel in anima mortuum ? Aut si dicamus, secundum corpus est pulcher, aut secundum corpus fortis, non secundum animum : qui est aliud, quam corpore non animo pulcher aut fortis est ? Et innumerabiliter ita loquimur. Non itaque sic intelligamus : « Secundum imaginem ejus qui creavit eum <sup>1</sup>, » quasi alia sit imago secundum quam renovatur, non ipsa quæ renovatur.

XXIII. Sane ista renovatio non momento uno fit ipsius conversionis, sicut momento uno fit illa in baptismo renovatio remissione omnium peccatorum : neque enim vel unum quantumcumque remanet quod non remittatur. Sed quemadmodum aliud est carere febribus, aliud ab infirmitate, quæ febribus facta est, revalescere : itemque aliud est infixum telum de corpore demere, aliud vulnus quod eo factum est secunda curatione sanare : ita prima curatio est causam removeere languoris, quod per omnium fit indulgentiam peccatorum ; secunda ipsum sanare languorem, quod fit paulatim proficiendo in renovatione hujus imaginis : quæ duo demonstrantur in Psalmo, ubi legitur : « Qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis ; » quod fit in baptismo : deinde sequitur : « Qui sanat omnes languores tuos <sup>2</sup> ; » quod fit quotidianis accessibus, cum hæc imago renovatur. De qua re Apostolus apertis-

<sup>1</sup> Coloss. III, 10. — <sup>2</sup> Psal. CII, 3.

sime locutus est, dicens : « Et si exterior homo noster » corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem <sup>1</sup>. » Renovatur autem in agnitione Dei, hoc est, in justitia et sanctitate veritatis : sicut sese habent Apostolica testimonia quæ paulo ante commemoravi. In agnitione igitur Dei, justitiæque et sanctitate veritatis, qui de die in diem proficiendo renovatur, transfert amorem a temporalibus ad æterna, a visibilibus ad intelligibilia, a carnalibus ad spiritalia ; atque ab istis cupiditatem frenare atque minuere, illisque se charitate alligare diligenter insistit. Tantum autem facit, quantum divinitus adjuvatur. Dei quippe sententia est : « Sine me, nihil potestis facere <sup>2</sup>. » In quo profectu et accessu tenentem Mediatoris fidem cum dies vitæ hujus ultimus quemque comperit, perducendus ad Deum quem coluit, et ab eo perficiendus excipietur ab Angelis sanctis, incorruptibile corpus in fine sæculi non ad poenam, sed ad gloriam recepturus. In hac quippe imagine tunc perfecta erit Dei similitudo quando Dei perfecta erit visio. De qua dicit Apostolus Paulus : « Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem » facie ad faciem <sup>3</sup>. » Item dicit : « Nos autem revelata » facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem » transformamur de gloria in gloriam, tanquam a Domini » spiritu <sup>4</sup> : » hoc est, quod fit de in diem bene proficientibus.

XXIV. Apostolus autem Joannes, « Dilectissimi, inquit, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit, quid » erimus : scimus autem quia cum apparuerit, similes ei » erimus, quoniam videbimus eum sicuti est <sup>5</sup>. » Hinc apparet tunc in ista imagine Dei fieri ejus plenam similitudinem, quando ejus plenam perceperit visionem. Quan-

<sup>1</sup> 2 Cor. IV, 16. — <sup>2</sup> Joan. XV, 5. — <sup>3</sup> 1 Cor. XIII, 12. — <sup>4</sup> 2 Cor. III, 18. — <sup>5</sup> 1 Joan. III, 2.